



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 10. Gallorum exercitus Romæ proximus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](#)

Cum vero Ursini Romam reduces, Sæcul. XVI.  
adversus Columnenses, qui æque urbem A.C. 1503.  
repetebant, arma sumerent, res ad ma-  
ximum belli civilis incendium spectare  
videbatur; unde Conclave dilatum est,  
quod tamen in ædibus Minervæ para-  
batur, ubi sexdecim Cardinales congre-  
gati Ragusinum Episcopum in Romæ  
Gubernatorem nominabant, adjectis in  
corporis sui custodiam ducentis satelliti-  
bus: Præterea Salernitanum Archiepis-  
copum S. R. Ecclesiæ Thesaurarium eli-  
gunt, atquerupto Alexandri VI. sigillo  
Piscatoris annulum Cardinali Cafænovo  
Datario tradunt. Postea suppellectilis  
a defuncto Papa relictæ commentarium  
conscrubunt, ubi, quamvis Michaelitius,  
quæcunque pretiosiora censebat, abstulis-  
set, nihilominus tamen arcula viridi ser-  
co contexta reperiebatur, quæ nonnullas  
continebat gemmas plusquam viginti  
millium aureorum pretium æquantes.

## §. X.

*Gallorum exercitus Romæ pro-  
ximus.*

Ingens, nec vanus Cardinales agitabat  
timor, ne Franciæ, ac Hispaniæ exer-  
citus Romam invaderent, Conclavis li-  
bertatem præpedituri: Ludovicus enim  
urbem invadere jussit, jamque Helvetio-

rum



**S**ecul. XVI. rum agmen iter aggrediebatur, cui ta-  
A.C. 1503. men juxta Regis vota proprius civitatem  
 accedendi spaciū haud relictum est,  
 nec plus Regi datum, quam ut Salutia-  
 rum Marchioni præciperet, classem suam  
 instrueret tot militibus, quot ex Cajeta,  
 quin tamen urbem præsidio nudaret, e-  
 ducere posset, demum vero ad ostiæ por-  
 tum procurreret, & Consalvum a Roma-  
 næ urbis aditu arceret, ne forte ipse  
 Purpuratos in novi successoris electione  
 ad sua vota compelleret. Regis man-  
 dato obtemperat Marchio, Ostiam  
 que pervenit, ac quatuor millia, Vete-  
 ranæ militiæ viros classi imponit, eisque  
 in loco tam opportuno castra designat,  
 ut adventantis Consalvi metu omnino  
 liberi essent. Eodem etiam tempore  
 Mantuanus Marchio cum suis copiis iter  
 suscipiebat, suoque adventu Valentini  
 Ducem sensim pristinæ suæ sanitati re-  
 stitutum præpediebat, ne Hispanis jun-  
 tus, arma in Gallos converteret.

## §. XI.

*Cardinalis de Ambasie Pontificatum  
 ambientis artes.*

**N**ihiolominus Valentini Dux, cum suæ  
 etiam securitati haud satis cautum  
 esse cerneret, odio, quo in Gallos fere-  
 batur, imperare, ac Cardinales Franciæ  
 rebus

